



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1707

Q. 252. An sola fama vel sola indicia levia nunquam sufficiant ad torturam.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42600

re firmum iudicium, sed tantum veluti suspicionem, ergo est contra charitatem & iustitiam & rectam rationem ex illa sola procedere ad gravissimum incommodum torturæ proximo inferendum. Ex his,

Sequitur, non esse audiendum *Sperellum* fori Eccl. decis. 136. n. 32., ubi dicit famam publicam facere, ac si crimen esset plenissime probatum: item *Mascardum* de probat. vol. 2. concl. 810. n. 20., ubi idem asserit de fama solius vicinæ, si sit adjuncta conjecturis aut conjuncta cum uno teste, oppositum enim constat ex dictis, cum fama sit indicium adeo debile.

Q. 252. *An sola fama, vel sola indicia levia nunquam sufficiant ad torturam.* R. In atrocissimis criminibus occultis & difficilis probationis sufficere solam famam, docent *Clarus*, *Farinac.* *Menoch. Binsf.*; Similiter sufficere leviora indicia dixerunt *Marsil.* *Menoch* *Monticel.* *Mascard.*, sed *Delrio* l. 5. f. 3. *Spe* q. 36. aliique dicunt, quantumcunque crimina sint atrocia, excepta, occulta ac difficilis probationis, nunquam sufficere vel solam famam vel alia quævis indicia non facientia probationem quasi plenam: Rationem dant, 1. Quia lex n. 1443. re-lata tunc tantum permittit torturam, quando est talis probatio, ut sola confessio deesse videatur; Et cum non distinguat inter crimina, nec nos distinguere debemus, sed accusatis relinquere hujus legis beneficium ac favorem. 2. Quia tortura est res damnosissima & periculosissima, ergo ad eam non licet procedere, nisi ex urgentissimis indiciis, fama autem aut indicium levius est aliquid valde fallax, quod non probat, sed tantum habet se instar accusatoris vel suspicionis apud Judicem, uti n. 1453. dictum est, ergo. *Nec obstat*, quod crimen sit atrox vel exceptum, nam tanto erit damnosius & periculosius accusato, si per torturam cogatur fateri; &

quod atrociora sunt crimina, eò requiruntur vehementiores præsumptiones & graviora indicia, ut dictum est n. 1437., ac rectè probat *Spe* d. 37. *Nec iterum obstat*, quòd crimen sit difficilis probationis, nam si ita est occultum, ergo majoribus indiciis opus est, ut probetur, alioquin verum esset, quòd ideo faciliùs probaretur, quia difficiliùs probaretur, quæ est aperta contradictio.

Obji. 1. Quòd atrocius est crimen, eò damnosius est Reipub., ergo faciliùs habetur causa contra illud agendi. *R.* Faciliùs habetur causa contra illud agendi, per inquisitionem, *C.* per torturam vel condemnationem, *N.* conseq.

Obji. 2. Commune axioma juris est, in clandestinis & occultis sufficere probationes per conjecturas, quæ aliàs non sufficerent. *R.* Axiomatis hunc esse sensum dicit *Spe* d. 38., quòd habitis conjecturis de se sufficientibus ad probationem requisitam, promptiùs pergere possit Judex ad torturam vel condemnationem in criminibus occultis quàm non occultis, quia nempe in non occultis possunt aliunde sperari & expectari majores probationes, non item in occultis, utrobique tamen supponi debent probationes secundùm se sufficientes, ut dictum est.

1455 *Q.* 253. *An tortura sit aptum medium cognoscenda veritatis.* *R.* Esse medium valde fragile & periculosum demonstrat *Spe* d. 20. & 27., ac aperte dicitur l. 1. ff. de quæstion. §. 23. *Quæstioni fidem non semper, nec tamen nunquam habendam, Constitutionibus declaratur, etenim res est fragilis & periculosa, & quæ veritatem fallat, nam plerique patientiâ sive duritiâ tormentorum ita tormenta contemnunt, ut exprimi eis veritas nullo modo possit, alii tantâ sunt impatientiâ, ut quidvis mentiri quàm pari tormenta velint, ita fit, ut etiam vario modo*